



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

563. Dum pensio reservata solvenda est in pecunia numerata, uti frequentius fieri consuevit, in qua moneta seu specie pecunia solvenda sit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

effectum clausulae sine retardatione solutionis pensionis, ut ei satisfiat, requiri depositum legitime factum. pro quo citat Caroccium, de oblatio, p. 1. q. 7. & Rotam in abulens. pens. 1606. Idem tenet Castrop. loc. cit. Neque opus est, eum potestari, quia jus praesumit debitorem velle solvere. Corrad. loc. cit. n. 234. Debere tamen ibidem fieri proclama, ut constet, num ibi reperiat pensionarius, ejusve procurator, quia est forensis seu extraneus, tradunt iidem Castrop. loc. cit. n. 235.

*Questio 563. Dum pensio reservata solvenda in pecunia numerata, uti frequentius fieri consuevit, in qua moneta seu specie pecuniae sit solvenda?*

**R**espondeo primò in genere: Quidquid sit de hoc, quod, ut affirmat Lott. l. 1. q. 39. n. 166. & 167. cogendus sit debitor, accipere nummos in alia forma seu moneta, si exinde damnum nullum passurus sit, eò quod, siue moneta sit aurea, siue argentea, siue area, habeat functionem in genere suo; in solutione tamen pensionis aliud esse, & non liberari titularem, nisi solutione pecuniae in specie debeat. Unde cum in reservatione pensionis semper soleat specificari qualitas monetae, in qua facienda solutio, cogitur omnino debitor ad solvendum in specie determinata; quia ubicunque qualitas deducta est in stipulationem, ea est praestanda. Ventrigl. to. 2. annot. 11. §. 2. n. 26. Lott. loc. cit. n. 156. juncto n. 172. & 173. citantes Gig. de pens. q. 98. n. 7. Limitanda tamen responsio, ut admittenda sit solutio in alia specie, si duo concurrant, nimirum dum est penuria monetae in illa specie promissa, quia scilicet ea non reperitur, & alterum, ut creditor, seu pensionarius servetur omnino indemnis, si nullum ex tali mutatione damnum consequatur. Ventrigl. loc. cit. Lott. loc. cit. n. 174. & 175. Hinc jam infero &

2. Respondeo secundò in specie: Dum juxta tenorem literarum reservatur pensio in ducatis auri de Camera, si in ipsa Romana Curia fieri debet solutio, solvendam esse pensionem praecise in ducatis auri, scilicet in scutis aureis, superaddendo singulis unum Julium. Ventrigl. loc. cit. n. 27. Corrad. in pr. benef. l. 5. c. 2. num. 11. citans Sarnens. ad reg. de valor. q. 8. in fine. Si verò solutio fieri debet in partibus, non est necesse fieri solutionem in istiusmodi ducatis, sed sufficit solvere in moneta alia, etiam non aurea, modò ea tantundem valeat. Corrad. loc. cit. Ventrigl. loc. cit. citans Gratian. discep. for. c. 417. num. 18. qui testetur, ita servari in Rota.

3. Respondeo tertio: Dum pensio reservata simpliciter & indistinctè in ducatis vel in scutis, nullà factà mentione, an sint ducati de Camera, vel ducati usualis monetae, an scuta aurea, an argentea (idem est, dum simpliciter reservata esset in florentis, quorum duae species currunt in loco contractus, seu solvendae pensionis) & neque ex usu, neque ex regione, vel contextu literarum haberi potest ulla interpretatio, de qua specie Papa locutus; interpretandum & censendum est, reservationem factam in exiguioribus seu minus gravantibus titularem juxta illud l. semper in obscuris. de reg. juris: in obscuris, quod minimum est, sequimur. seu minimum debetur, & favendum causae creditoris. Lott. n. 157. & ex eo Ventrigl. loc. cit. n. 28. secus si ex usu regionis, vel contextu literarum haberi

P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

potest interpretatio de mente Papae; tunc enim juxta dictam interpretationem in ea specie solvenda pensio. AA. iidem. Porro dicta ambiguitas omnimodè cessaret, satisque declararetur, quanam species monetae fuerit posita in obligatione, ex facta in tali determinata specie unà alteràve (vel etiam ex unica, ut Ventrigl. loc. cit.) solutione, cum non tractetur de inducenda obligatione, sed simpliciter de ea declaranda & interpretanda ex observantia, quam proinde necesse non est esse praescriptam. Lott. n. 158. & seq. Ventrigl. loc. cit. n. 29. nisi forte facta istiusmodi solutio ex probabili quadam ignorantia, vel inadvertentia. Lott. n. 163. ex Costa. tr. de fact. scient. centur. 1. dist. 43. num. 3. Ventrigl. in fine cit. n. 29. citans Gratian. discep. for. c. 417. n. 19. & 20. Surd. conf. 335. n. 28. l. 1. Quod si tamen extra dubium est, de qua moneta consenserint partes, vel in qua Papa reservavit solvendam pensionem, eò quod ambigua non sint, sed clara verba reservationis; minimè ex solutionibus aliter factis potest oriri talis observantia interpretativa, nisi post observantiam longissimam & praescriptam per annos saltem 30. Ventrigl. loc. cit. nu. 30. citans Surd. conf. 220. nu. 18. & conf. 224. in fine. l. 2. & Gratian. ubi ante n. 22. De cetero tradit Lott. n. 164. quod si in literis specificaretur certa moneta, & mox pro explicatione valoris hujus monetae exprimitur alia minutior, v. g. dum diceretur solvenda pensio in scutis constitutibus tot libras illarum partium, nequaquam attendendam illam secundo loco positam monetam, eò quod haec non adjecta nisi demonstrative tantum ad designandum valorem monetae prioris secundum cursum temporis datae.

*Questio 564. Quomodo solvenda pensio, dum valor monetae, qui erat tempore reservationis, est dein alteratus?*

**R**espondeo primò supponendo seu praenotando primò: Pecuniam seu nummos constare materia, nempe metallo, aere, cupro, argento, auro; & forma, nimirum aestimatione publica ex caractere cursoris indicata, & hinc duplicem consistere eorum bonitatem; unam consistentem in ipsa materia, & sic intrinsecam; alteram in aestimatione illa publica, adeoque extrinsecam: ita tamen, ut de ratione nummi sit symmetria & proportio aestimationis illius cum valore materiae (habitata tamen etiam ratione impensarum factarum in cuedo, seu moneta signanda, dum principes videntur non teneri cedere nummos propriis expensis) & tunc dici aestimationem illam publicam, seu valorem impositivum rapere in se valorem metalli, cum valor hic aestimationi illi est adaequatus; siquidem ad alium effectum excogitata non est aestimatio illa publica, quam ad liberandum homines, ne solliciti essent de valore intrinseco seu materiae, ad eò ut, si haec illi non correspondeat, jam sub fide publica fraus fiat. Lott. cit. q. 39. à nu. 182. ad 193. & ex eo Ventrigl. loc. cit. n. 24. Secundò, aestimationem illam debere quidem esse perpetuam, seu semel impositam debere durare perpetuò (quod intelligendum respectu usus naturalis pecuniae, id est, ut per illum res aliae aestimentur, secus respectu alterius usus, ut dum ipsa pecunia alia pecunia emittitur, seu cum alia pecunia cambitur; eò quod tunc aestimatio illius sit alterabilis ex singulorum etiam arbitrio. Ventrigl. n. 25. Lott. n. 196. ex sententia,

A 8

ut